Confirmatur. Si quis ex affectu naturali ad temporalia moveatur ad credendum, is non credet fide vere theologica; ergo multo minus si moveatur ex affectione vitiosa, & depravata intentione.

III. Secundo prob. Ut ostendimus *Tom. I. in* 1. 2. *q.* 3. *de Act. Human. moralit. dub.* 4. Actus ex fine malus, totus est malus, nec a vera virtute prodire potest. Unde Arist. in lib. Ethic. constituens differentiam inter veram, & fucatam virtutem dicit, quod illa respicit honestum; ista vel propriam utilitatem, vel aliud citra honestum: hinc elargitio pecuniæ ex motivo proprii commodi, sive inanis gloriæ adscribitur fucatæ liberalitati, non veræ, quemadmodum si procedat ex motivo honestatis; ergo a fortiori virtus theologica fidei ita debet respicere honestum, ut actus credendi a motivo non honesto procedens, sit actus, non veræ, sed fucatæ fidei theologicæ.

IV. Tertio probatur. Licet fides informis non sit virtus perfecta, seu habens statum perfectæ virtutis: est tamen dispositio ex natura sua tendens ad esse perfectum virtutis: sed nemo potest male uti habitu virtutis, puta, prudentiæ, quæ essentiam virtutis habeat, esto non statum perfectum virtutis, quia est dispositio ad statum perfectum; ergo &c.

V. Confirmatur. Si fide informi potest quis male uti, peccando venialiter; ergo & peccando mortaliter, ut si constituat ultimum finem in vanagloria: & sic credere Deum esse Unum, & Trinum ex dono Dei, & fide infusa, esse poterit peccatum mortale, quod videtur absurdum. Maj. par. Ex quo enim potest quis male uti scientia, venialiter peccando, potest etiam ea male uti, peccando mortaliter.

Rursus: Si fide informi potest quis male uti peccando venialiter, poterit male uti fide formata, peccando venialiter; quia habitus charitatis non repugnat esse cum peccato veniali; sed hoc est falsum, quia actus fidei formatæ actu formali, vel virtuali refertur in Deum; ergo &c.

§. II.

Fundamenta contraria.

VI. PRimo arguunt. Idem actus moralis potest esse bonus, & malus: bonus ex objecto, malus ex circumstantiis, puta, ex fine; ergo idem actus potest esse actus virtualis fidei, & ex objecto bonus, & malus ex fine.

VII. Respondeo, nego ant. Oppositum enim docuimus citato *Tom. I. in* 1. 2. *q.* 4. *de Act. Human. moralit. dub.* 4. §. 2. quo Studiosum remitto. Interim dico, quod actus vitiatus ex fine, totaliter vitiatus evadit; & ipsum objectum amissa propria bonitate, hic, & nunc malitia finis inhonesti inficitur. Ut enim ex lib. 2. de Lib. arb. cap. 19. repetit, & probat Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9. *Virtutibus nemo male utitur: ceteris autem bonis, idest mediis, & minimis, non solum bene sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtutes nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus: nemo autem bene utendo male utitur*. Et sane: si enim habitus vitiosus ita est determinatus ad malum, ut illo non possimus uti ad bonum, ita habitus virtuosus ita erit determinatus ad bonum, ut illo non possimus uti ad malum.

VIII. Sed instant. Hoc est quidem verum de virtutibus moralibus, quæ respiciunt appetitum rectum: non autem de fide, quæ est habitus intellectualis datus ad bene cognoscendum, non ad bene operandum.

IX. Huic instantiæ respondimus *Tom. I. in* 1. 2. citatis locis, *dub.* 4. §. 3. *num.* 27. quæ recoli possunt. Modo dico ad min. Fidem esse virtutem intellectualem, non mere speculativam, sed & practicam, a Deo infusam; non ut mere cognoscamus, sed ut tali cognitione, qua credimus, ad bona repromissa per spem, & charitatem tendamus: unde ad credendum non ab evidentia objecti, sed a pia affectione per Spiritum Sanctum infusa movemur; & consequenter ad credendum ex fine, & appetitu recto. Quare D. Thom. *quæst. unica de Virtutibus a.* 7. *ad* 5. ait: *Per actum scientiæ, aut alicujus talis habitus potest homo mereri secundum quod imperatur a voluntate, sine qua nullum est meritum. Tamen scientia non ad hoc perficit intellectum . . . Non enim ex eo, quod homo habet scientiam, efficitur bene volens considerare, sed solummodo bene potens. Et ideo mala voluntas non opponitur scientiæ, vel arti, sicut prudentia, vel fidei, aut temperantia*. Eu quomodo S. Thom. eodem modo, quoad voluntatem rectam loquitur de fide, ac de prudentia, ac temperantia.

X. Secundo arguunt. Qui ex motivo inhonesto inanis gloriæ præbet assensum, vel confitetur aliquod mysterium, vere assentitur, & confitetur propter auctoritatem divinam: quia si non esset divina auctoritas, nec assentitur, nec confiteretur; ergo assentitur, & confitetur fide divina.

XI. Respondeo, dist. ant. Propter auctoritatem divinam tamquam quid præsuppositum, conc. ant. Tamquam rationem formalem credendi, & confitendi, neg. antec. Quando enim intentio finis se habet antecedenter, & est causa voluntatis mediorum, non est diversum objectum voluntatis a fine intento; sed finis, seu ordo ad finem accipitur, ut ratio formalis objecti: cum ergo quis, ob finem vanæ gloriæ, eligit tamquam medium confessionem fidei, ratio formalis confitendi fidem est ipsa vanagloria; auctoritas autem divina se habet solum ut quid præsuppositum ad talem actum. Ex quo fit, ut talis confessio, non ex pia affectione erga Deum, sed ex inordinato affectu erga propriam gloriam procedat; & consequenter non a fide theologica, sed naturali: quamvis ipse existimaret, & diceret, se credere ob auctoritatem divinam. Sicut dicemus de hæretico, qui licet dicat, se assentiri articulo, quem credit, ob auctoritatem divinam, revera tamen non assentitur.

XII. Tertio arguunt. Sacerdos ex depravata intentione finis inhonesti confecrans, vere consecrat. —— Item suscipiens Baptismum ex depravata intentione finis turpis, vere suscipit Baptismum; ergo Fidelis assentiens mysteriis fidei, vel eorum confessionem palam emittens ex depravata intentione finis, elicit actum veræ fidei theologicæ.

XIII. Respondeo *ad* 1. quod character Sacerdotalis, quo Sacerdos consecrat, secundum doctrinam S. Thomæ est in specie potentiæ. Potentia autem, utpote indifferente ad bonum, & malum, potest quis bene, vel male uti. Unde Sacerdos ex prava intentione confecrans, sacrilege quidem consecrat, sed vere, ac valide. At fides est virtus, vel tendens ad perfectionem virtutis; virtus autem, utpote pertinens ad speciem habitus, est determinata ad bonum, sicut vitium ad malum. Unde, sicut non potest quis uti vitio, faciendo, ut influat in actum bonum; ita nec potest uti virtute, faciendo, ut influat in actum malum.

Ad secundum jam respondi citato *Tom. I. in* 1. 2. *q.* 3. *de Act. Human. moral. dub.* 3. §. 3. *num.* 29. quod depravata intentio in suscipiente Baptismum, puta, vanagloria, vel solum concomitanter se habet; & sic non impedit, nec validitatem, nec fructum Baptismi. Vel se habet antecedenter, ita ut ex intentione inanis gloriæ moveatur ad suscipiendum Baptismum; & sic cum excludat debitas dispositiones, impedit fructum Baptismi, valide tamen esset baptizatus: quia ad Baptismum valide recipiendum sufficit voluntas illum suscipiendi, & debita materia, & forma cum intentione Ministri.

XIV. Quarto arguunt. Prophetia est gratia gratis data ordinis supernaturalis, & innixa divinæ revelationi: sed prophetare potest quis ex mala intentione, ut patet in Balaam, Caypha &c. ergo etiam credere.

XV. Respondeo ex D. Th. *Lect. L.* super *c.* 11. *Joan.* quod in prophetico dicto Balaam, & Cayphæ duo sunt consideranda, nempe, mens, & imaginatio intenta ad malum; & exterior denunciatio, sive locutio per linguam. Quantum ad primum, nec Balaam, nec Cayphas donum prophetiæ habuerunt; quia mens, & imaginatio eorum non movebatur a Spiritu S. per claram illuminationem, qua solet movere Prophetas, ut videant, quod annunciant: & ideo eorum mens, & imaginatio ad malum intenta mansit. Quantum autem ad secundum, habuerunt actum propheticum; quia Spiritus S. movit eorum linguam, ut proferrent modum, quo benedictio, & salus populi impleretur. Unde concludit: quod non dicuntur Prophetæ, nisi in quantum habuerunt propheticum actum in denuntiatione, & imaginatione, & ratione eorum in contrarium existente. Ex quo patet, quod non magis possunt dici Prophetæ, quam Asina Balaam. Ex hac doctrina, dist. min. Spiritu S. movente os, & linguam ad externam denuntiationem contrariam menti, & pravæ intentioni, conc min. Movente mentem ad malum intentam, neg. min.

Aliter respondet Mag. Bannez, quod prophetia, & aliæ gratiæ gratis datæ dantur in utilitatem aliorum, ut docet D. Th. 1. 2. *q.* 111. *a.* 1. & 4. unde bona, vel mala intentio ejus, qui cooperatur, dummodo faciat exterius id, quod ad salutem aliorum ordinatur, nihil nocet. At fides datur unicuique ob suam ipsius salutem: & ideo nemo potest illa male uti, sicut nec habitibus virtutum etiam imperfectis. Esto autem fides informis ex parte subjecti possit compati cum affectu habituali ad peccatum: ex sua tamen specie, & natura nequit moveri ex actuali affectu ad malum.

XVI. Quinto arguunt. Potest Deus fiecere præceptum alicui, ne credat, seu ne eliciat actum fidei; & homo ille frangere hoc præceptum, & elicere actum fidei theologicæ: sed in tali casu actus ille esset peccaminosus, & tamen a fide theologica procedens; ergo &c.

XVII. Respondeo, hoc argumentum nihil concludere. Nam simile posset etiam formari de actu Spei, & charitatis: qui tamen in communi sententia depurati esse debent ab omni malitia, ex quocumque capite proveniente. —— Nego igitur, possibile esse præceptum divinum prohibens bonum supernaturale, præcipue internum. Actus enim supernaturales fidei, spei, & charitatis nunquam possunt impedire opera sublimiora, propter quæ ejusmodi actus prohiberi debeant; sed potius ad illa maxime conducunt. Ideoque neque cogitari præceptum rationabile, quale debet esse præceptum divinum, quo instante, ejusmodi actus cessare debeant; ut si eliciantur evadant mali, & peccaminosi.

QUÆSTIO III.

De subjecto Fidei.

DE subjecto habente fidem procedit quæstio præsens, in qua examinabimus: an fides fuerit in homine in sui prima conditione, in Angelis pro statu viæ: an modo sit in Dæmonibus, in Damnatis, in animabus Purgatorii, & tandem in hæreticis.

DUBIUM I.

An Homo in sui Conditione, & Angeli pro Statu Viæ habuerint Fidem Theologicam?

§. I.

Quædam Referuntur.

I. SUppono ex dictis *Tom.* 1. *in* 1. *part. Tract. de Angel. quæst.* 7. *Dub.* 3. §. 1. & 2. Angelos, qui modo sunt beati, non fuisse a sui conditione beatos; sed de facto meruisse beatitudinem, & pro aliquo tempore fuisse viatores, antequam beatitudine supernaturali donarentur. Quanto autem tempore via bonorum Angelorum duraverit, ibidem ostendimus.

II. Probabile judicavit Durandus, in Angelis non fuisse fidem: motus ex eo, quod habuerint evidentiam divinæ revelationis, cum qua, inquit ipse, nequit stare fides de re revelata. Evidentiam autem divinæ revelationis eos habuisse, ostendit: quia Angeli tunc evidenter cognoscebant, se de mysteriis supernaturalibus edoceri: & insuper evidenter cognoscebant, se non ab alio edoceri posse, quam a Deo. Evidenter enim sciebant, (maxime supremus Angelus) nullam esse creaturam superiorem, a qua edoceri possent: cum evidentia autem divinæ attestationis nequit (inquit ipse) stare fides.

III. Ludovicus autem Vives in Comment. *lib.* 9. *de Civitate Dei cap.* 22. id certum putat ex S. August. ibi, ubi dicit, quod Angeli *certius etiam temporalia, & mutabilia ista noverunt, quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est Mundus*. Hoc autem Angelos vidisse ab initio suæ conditionis, videtur affirmare idem S. August. ibi *lib.* 11. *cap.* 9. ubi ait, Angelos nunquam esse peregrinatos. Et *lib.* 2. *de Genes. ad litt. cap.* 8. dicit, quod Angeli, ex quo facti sunt, vident res in Verbo. Quam opinionem quosdam etiam suo tempore fuisse amplexatos, testatur S. Thom. hac 2. 2. *qu.* 5. *art.* 1. his verbis: *Quidam dicunt, quod in Angelis ante confirmationem, & lapsum, & in homine ante peccatum non fuit fides, propter manifestam contemplationem, quæ tunc erat de rebus divinis*. Cum communi tamen sententia, sit

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. DIco. Certum est omnino, quod Angeli boni ante confirmationem, & mali ante lapsum, & primi Parentes ante peccatum habuerunt fidem theologicam: & hanc in sui conditione acceperunt. Priorem partem docet S. Thom. citatus, & probat primo ex celebri Pauli dicto, Heb. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: sed Angelus, & homo in sui prima conditione erant in statu accedendi ad Deum; ergo fide indigebant.

V. Secundo probat. *Illa sola manifestatio excludit* fidem de re velata, *per quam redditur apparens, vel visum id, de quo principaliter est fides: principale autem objectum fidei est veritas prima, cujus visio nos beatos facit, & fidei succedit*. Sed Angelus, dum erat viator, & homo ante peccatum non habuit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur, ergo non habuit sic manifestam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei. Majorem probat. Quia ex Apostolo, Hebr. 11. v. 1. fides *est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*. Et ex Augustin. Tract. 40. in Joann. & lib. 2. QQ. Evang. cap. 39. *Per fidem creduntur ea, quæ non videntur*.

VI. Tertio probat. Quod in aliquo non sit fides, evenire potest, vel quia ignotum ei est illud, de quo est fides, utpote supernaturale, & excedens vires naturæ; vel quia ejus vis jam consummata est: fides enim est inchoatio vitæ æternæ in intellectu, sicut spes, & charitas sunt inchoatio ejusdem in voluntate: unde in eo, in quo vita consummata est, non potest esse amplius fides, ut in Beatis: sed in Angelo, aut primo homine nulla ex his rationibus militabat; ergo &c. Min. prob. Ut suo loco docuimus, Angeli, & homo fuerunt creati in gratia; ergo in illis erat vis, & lumen ad cognoscenda mysteria supernaturalia. Ex alia autem parte Angeli, aut homo non fuerunt creati in beatitudine, quæ est gratia consummata, ut pariter ostendimus; ergo in illis erat locus fidei.

VII. Notat tamen S. Doctor, quod cum in objecto fidei unum sit quasi formale, *scilicet, veritas prima super omnem naturalem cognitionem creaturæ existens: & aliquid quasi materiale, sicut id, cui assentimus inhærendo primæ veritati. Quantum ergo ad primum horum, communiter fides est in omnibus habentibus cognitionem de Deo, futura beatitudine nondum adepta, inhærendo primæ veritati. Sed quantum ad ea, quæ materialiter credenda proponuntur, quædam sunt credita ab uno, quæ sunt manifeste scita ab alio, etiam in statu præsenti . . . & secundum hoc etiam potest dici, quod Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum, quædam de divinis mysteriis manifesta cognitione cognoverunt, quæ nunc non possumus cognoscere, nisi credendo*, ut ibi ad 1. *Eorum contemplatio erat altior, quam nostra; per quam magis de propinquo accedentes ad Deum, plura manifeste cognoscere poterant de divinis effectibus, & mysteriis, quam nos possumus: unde non inerat eis fides, quasi quæreretur Deus absens, sicut a nobis quæritur. Erat enim eis magis præsens per lumen sapientiæ, quam sit nobis: licet nec eis esset ita præsens, sicut est Beatis per lumen gloriæ*. Quæ tamen intelligenda sunt de illis, quæ per accidens ad fidem pertinent, cum per se scientifice cognosci possint: non de iis, quæ per se ad fidem pertinent, nec possunt ratione demonstrari.

VIII. Secunda etiam pars, quod Angelus, & homo fidem habuerint in sui conditione eis infusam, constat. Quia, ut ostendimus *Tom.* 1. *in* 1. *part. Tract. de Angelis Q.* 7. *Dub.* 2. §. 2. *Tom.* 1. *de Homine Q.* 3. *Dub.* 3. tam Angelus, quam homo creati fuerunt in gratia sanctificante: sed gratiam sanctificantem, nondum consummatam, comitatur fides; ergo &c.

IX. Ex his respondeo ad rationem Durandi, juxta duplicem sententiam, quæ etiam inter Thomistas versatur. Vel enim evidentia attestationis stare potest cum obscuritate rei revelatæ, & consequenter cum fide, ut plures volunt: & in hac sententia quamvis Angelus supremus evidentiam haberet, quod Deus erat, qui ei revelabat mysterium, puta, Trinitatis; adhuc tamen illud manifeste non videbat, & sic poterat habere fidem de illo. Vel, ut alii volunt, evidentia attestationis cum obscuritate, & fide rei revelatæ stare nequit: & sic dico, quod Angelus etsi esset certus, quod revelatio illius mysterii sibi fieret a Deo, hoc tamen non erat illi evidens: non enim evidenter sciebat, se a nulla creatura edoceri, sed nullam creaturam esse supra ipsum, saltem in ordine ad supernaturalia, sive ob aliam causam.

X. Ad fundamenta Ludovici Vives dico, S. Aug. primo loco allatum non loqui de cognitione, quam Angeli habuerunt antequam in gratia essent confirmati: sed de ea, quam modo habent Angeli beati, condistincta ab ea, quam habent Dæmones. Unde concludit: *Itaque non solum æterni, verum etiam beati sunt. Bonum autem, quo beati sunt, Deus illis est, a quo creati sunt. Illius quippe indeclinabiliter participatione, & contemplatione perfruuntur*.

Ad aliud ex eodem August. dico, eum velle, Angelos nunquam fuisse peregrinatos, non quia nunquam habuerint fidem: sed, vel quia nunquam fuerunt extra statum gratiæ, sed ab initio æternæ lucis participes facti sunt; ut ibidem asserit in fine capitis; vel quia, esto fidem habuerint, non ita tamen, ut ea quæreretur Deus absens, sicut a nobis quæritur; ut ex D. Thom. nuper dictum est.

Ad tertium ex eodem S. Doctore respondeo, Angelum habere duplicem cognitionem rerum in Verbo: unam naturalem, qua cognoscit res in Verbo, idest, per rationes rerum a Verbo in eorum natura participatas: Verbum enim rationes rerum, quas in se habet, prius effundit in cognitionem Angelorum, quam in se ipsis eas produceret; & hanc cognitionem in Verbo, nimirum, in sua natura participato, habuit Angelus ab initio: & de hac loquitur August. Alteram gloriæ, qua cognoscit res in Verbo intuitive, & in se ipso: & hanc non habuit ab initio, alias ab initio fuisset beatus.

DUBIUM II.

An in Dæmonibus, Damnatis, Animabus in Purgatorio existentibus, & tandem in Beatis sit Fides Theologica?

§. I.

De Dæmonibus, & Damnatis.

I. DUrandus tenet, quod si Dæmones, dum fuerunt viatores, habuerunt fidem, eam adhuc conservant quoad habitum, esto non quoad actum; quia non credunt propter auctoritatem Dei, sed propter signa, quæ vident: quod etiam sentit de Damnatis. Communis tamen sententia est negativa: nec desunt, qui oppositam censeant periculosam, & errori proximam.

II. Dico. In Dæmonibus, aut Damnatis, etiam qui fidem habuerunt in hac vita, non manet fides infusa theologica, neque quoad habitum. Ita S. Th. hac 2. 2. *q.* 5. *a.* 2. in 3. *dist.* 23. *q.* 3. *a.* 3. *qu.* 1. *ad* 3. ubi ait: *Fides, quæ est in eis* (Dæmonibus) *non est habitus infusus, sed ex naturali cognitione procedit*. Et Q. 14. de Verit. a. 9. ad 4. *Credere* (inquit) *equivoce dicitur de hominibus fidelibus, & de Dæmonibus: nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiæ infuso, sicut est in fidelibus*. Rationem autem citatis locis dat: quia credere, ut est ab habitu fidei infusæ, est credere voluntarie, non coacte: nimirum, ex evidentia signorum convincentium intellectum, quod ea, in quorum contestationem fiunt, sint dicta a Deo: sed Dæmones non voluntarie credunt, sed ad credendum inducuntur convicti, & territi evidentia signorum, quæ in confirmationem fidei viderunt, & in dies fieri vident: unde *Jacobi* 2. *v.* 19. dicitur: *Et Dæmones credunt, & contremiscunt*; ergo &c.

III. Confirmatur. Ex D. Thom. hac *q.* 5. *art.* 2. *ad* 2. habitus fidei infusæ debet procedere ex pia motione voluntatis, inclinantis intellectum ad assentiendum revelatis ex affectu ad bona credentibus repromissa: est enim teste Apostolo. Hebr. 11. vers. 1. *Sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*: atqui in Dæmonibus, aut Damnatis, utpote firmatis, & obstinatis in malo, & jam incapacibus consequendi, imo & sperandi bona repromissa, locum non habet præfata pia motio, & affectio; ergo &c. *Unde* concludit S. Thom. *Fides, quæ est in Dæmonibus, non est donum gratiæ: sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectus*. Scilicet, ut ait 3. dist. 23. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 1. *In quantum ex ex ipsa naturali cognitione simul, & ex miraculis, quæ videnr, supra naturam esse, multo subtilius, quam nos, cogunntur ad credendum ea, quæ naturalem ipsorum cognitionem excedunt*.

IV. Dices pro Durando, ex hoc solum inferri, in Dæmonibus & damnatis non dari actum fidei infusæ, cujus pro illo

ſtatu incapaces; non autem non remanere in eis habitum fidei: quemadmodum in Sacerdote damnato remanet character ſacerdotalis, eſto illi ſit impoſſibilis actus confecrationis.

V. Sed contra. Status æternæ damnationis, non ſolum pugnat cum actu fidei, ſed etiam cum habitu ejuſdem, quamvis informis. Nam habitus fidei informis, eſto non habeat ſtatum, habet tamen eſſentiam virtutis theologicæ; ergo petit eſſe in ſubjecto capaci actus laudabilis: hoc autem nequit eſſe, niſi ſubjectum ſit proxime potens moveri ad credendum ex pia affectione ad bona divina credentibus repromiſſa, & ad Deum ea teſtificantem, & promittentem: at, qui ſunt in ſtatu damnationis, incapaces ſunt, ut moveantur ex pia affectione ad bona repromiſſa, quia immobilitati in malo, & ſciunt ſe talium bonorum incapaces; quare potius moventur ex odio, & averſione circa Deum, ac res revelatas, ac proinde convicti ea credere, maxime triſtantur, ac torquentur; ergo &c.

Quare apparet diſcrimen inter habitum fidei, & characterem ſacerdotalem. Is enim non eſt virtus, nec quoad ſtatum, nec quoad eſſentiam; unde non inclinat per ſe in actum bonum, & laudabilem: ideoque non repugnat manere in Damnato: maxime quia character eſt per modum potentiæ, & conſequenter indelebilis, at non ſic habitus fidei.

VI. Secundo probatur aſſertio. Qui ſic eſſet diſpoſitus, ut nollet credere, niſi evidentia ſignorum convictus; eique diſpliceret, quod adeo evidentia ſint, ut ipſum credere compellant, is non crederet fide infuſa; imo a ſe rejiceret rationem formalem credendi, quæ eſt divinum teſtimonium: ſed Dæmones, & Damnati ita ſunt diſpoſiti, ut nollent credere, niſi ad credendum cogerentur evidentia ſignorum, & diſpliceret eis, quod ab ea cogantur credere; ergo &c. Quare Bannez recte comparat fidem Dæmonum, & Damnatorum voluntati mercatoris, qui metu naufragii, quaſi invitus, & coactus projicit merces in mare, quas, ſi poſſet, non projiceret.

VII. Tertio probatur. Nullus Damnatus poteſt aſſequi finem fidei infuſæ, qui eſt ſalus æterna, juxta illud 1. Petri 1. 2. 9. *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum*; ergo fruſtra in illis relinqueretur fides. Etenim in peccatoribus Chriſtianis utiliter manet fides; habent namque principium aliquod ſe convertendi ad Deum cum ſpe veniæ: nullum autem horum habent Damnati. Addo, quod fides eſt viatorum adjumentum, ſecundum illud Apoſtoli, 2. Cor. 5. v. 7. *Per fidem enim ambulamus*: at Dæmones, & Damnati non ſunt in via, ſed in termino infelciſſimo; ergo &c.

VIII. Reſtat ergo ex dictis, quod Damnatorum fides non ſit infuſa, & ſupernaturalis, ſed acquiſita, & naturalis; parta in eis ex manifeſtis indiciis, & perſpicacitate intellectus eorum: quia, ut dicebamus, iis viſis, velint, nolint, coguntur aſſentiri, doctrinam Eccleſiæ eſſe a Deo. Quia tamen *hæc ipſum Dæmonibus diſpliceat, quod ſignæ fidei ſunt tam evidentia, ut per ea credere compellantur: idea in nullo malitia eorum minuitur per hoc, quod credunt*. Ita D. Thom. hac *q. 5. art. 1. ad 3.*

IX. Dices primo. Fides non amittitur, niſi per peccatum infidelitatis: ſed Dæmones, & multi ex Damnatis non inciderunt in peccatum infidelitatis; ergo in eis remanet fides informis, ſed infuſa. Unde S. Thom. hic 2. 2. *quæſt.* 18. *art.* 3. *ad* 2. ex S. Auguſt. in *Enchiridi. c.* 8. dicit: quod *magis poteſt eſſe fides informis in Damnatis, quam ſpes*.

X. Reſpondeo, quod dato, hominem, dum eſt in via, nunquam amittere fidem, niſi per infidelitatem: dum tamen ſunt in termino, quemadmodum Beati eam amittunt, quia eis ſit impoſſibile objectum fidei; ita Damnati amittunt fidem infuſam, & laudabilem, quia eis ſit impoſſibilis pia affectio erga bona ſupernaturalia, & fidei, qui eſt ſalus. —— Deinde dico, quod Damnati habent aſſenſum contrarium fidei, aſſerentes ſe nolle credere, niſi evidentia miraculorum ad credendum cogerentur.

Ad id, quod additur ex S. Thom. & Auguſtino reſpondeo, ſenſum S. Thomæ non eſſe, quod fides infuſa informis ſit in Damnatis, non autem ſpes: ſed, quod licet neutra in Damnatis eſſe poſſit, magis tamen repugnat ſpes. Nam Damnati, ſaltem fide acquiſita, credunt & tamen nec ſpe acquiſita ſperant; quia certi ſunt, nullum bonum eſſe eis poſſibile.

XI. Dices ſecundo. Fides non repugnat ſtatui, in quo ſunt Dæmones, & Damnati: neque enim Deum vident, ut evacuetur, quod ex parte eſt, neque habent evidentiam talem, quæ fidem deſtruit.

Reſpondeo, nego ant. Quamvis enim Dæmones, & Damnati nec Deum videant, nec evidentiam habeant myſteriorum, eis tamen repugnat fides infuſa. Tum quia: ſunt in ſtatu æternæ damnationis, in quo omni dono ſupernaturali privati ſunt. Tum quia: incapaces ſunt cujuſcumque pii voluntatis affectus, ſive ad credibilia, ſive ad Deum.

XII. Dices tertio. Qui ex Fidelibus damnantur, debent diſtingui a Damnatis, qui nunquam crediderunt; ergo debent retinere habitum fidei.

Reſpondeo, nego conſequent. In primis enim baptizati a non baptizatis damnatis diſtinguuntur charactere baptiſmali, quem ſuperius diximus in eis manere, ſicut & Sacerdotalem. Deinde tam illi, quam qui ſine charactere crediderunt, diſtinguuntur diverſitate meritorum, ac ſupliciorum.

II.

De his, qui olim fuerunt in Limbo, & modo ſunt in Purgatorio.

XIII. Dico. In animabus, quæ olim fuerunt in Limbo, & quæ modo in Purgatorio ſunt, fides infuſa ponenda eſt. Probatur. Cum enim fides ſit fundamentum ſpei, atque, ut loquitur Paulus, *Hebr.* 11. ſubſtantia ſperandarum rerum, non poteſt in aliquo eſſe ſpes, niſi in eo ſit fides: atqui in talibus animabus remanet ſpes, ut inferius *qu. 18. art.* 3. docet S. Thom. ergo & remanet fides cum impoſſibile ſit, ſperare beatitudinem, niſi credatur, eſſe poſſibilem. —— Rurſus: animæ Patrum in Limbo Deum non videbant, nec in Purgatorio modo vident; ad ipſum tamen videndum anhelabant, & modo anhelant, quæ in Purgatorio ſunt; erant, & ſunt in charitate, ac donis ſupernaturalibus præditæ, ac nondum in termino: quid ergo illis deerat, ac deeſt, ut fidem infuſam habeant?

XIV. Confirmatur; fides habitualis ſolum auferri poteſt: vel per hoc, quod aliquis ſit in termino ſimpliciter: vel ratione alicujus diſpoſitionis contrariæ ei, quam requirit fides, ut naturaliter conſervetur: at animæ ſive in Limbo, ſive in Purgatorio, non ſunt in termino, quia pondum Deum viderunt; non deeſt illis debita diſpoſitio: nam hæc, vel eſt habitus piæ affectionis, quo pie quis afficitur ad credendum: vel perfecta obedientia, qua quis paratus eſt, in omnibus obedire fidei: at nihil horum eis deficit, quia ſunt confirmatæ in bono virtutis; ergo &c.

XV. Dices. Animas Purgatorii eſſe extra ſtatum merendi; ergo extra ſtatum fidei, quæ non ambulat, niſi per meritum.

Si reſpondeas, neg. conſ. Fides enim dupliciter ambulat, vel merendo beatitudinem, vel diſponendo ad illam. Primum quidem non habetur in animabus Purgatorii, habetur tamen ſecundum. Diſponuntur enim animæ illæ, nedum igne purgante, ſed etiam vera fide charitate formata, cujus fervore ad gloriam tendunt.

XVI. Contra inſtabis. Ergo Patres, qui erant in Limbo, fidem non habebant; quia non ambulabant, neque per meritum, neque per diſpoſitionem.

Reſpondeo, nego conſeq. Nam Patres in Limbo ambulabant per diſpoſitionem, non quidem removentem maculam, a qua mundati erant; ſed præparantem eos ad ingreſſum in Regnum Cælorum: diligebant enim Deum, ſperabant, & liberatorem credebant Chriſtum, qui ſua Paſſione, & Morte Cælum illis aperiret; ideoque egebant fide.

§. III.

De Beatis.

XVII. Dico. In Beatis non remanet fides infuſa, nec quoad habitum. Eſt contra Alenſem, & Durandum, communis tamen apud Theologos. Eam enim tradit Paulus 1. Corinth. 13. v. 10. *Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*. Atqui per fidem ex parte, ideſt, imperfecte, & obſcure cognoſcimus; ergo adveniente cognitione perfecta, qualis eſt clara Dei viſio, evacuabitur fides. Unde ſubdit, v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*. Quod vero addit: *Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas*; ly *autem* facit ſenſum adverſativum, nimirum *nunc* in ſtatu viæ manent hæc tria, in ſtatu autem Patriæ manebit ſola charitas; de qua dixerat: *verſ.* 8. quod, cum cætera evacuabuntur, *charitas nunquam excidit*.

Confirmatur. Cauſa, cur *quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur a Domino* (ut ait Paulus 2. *Cor.* 5. *v.* 6.) eſt, quia *per fidem ambulamus, & non per ſpeciem* (ut ait ibi, v. 7.) ergo quando non amplius peregrinabimur a Domino, ſed videbimus eum per ſpeciem, non cognoſcemus eum per fidem.

XVIII. Probatur ulterius. Beatis Deum videntibus non convenit definitio fidei aſſignata per Apoſtolum, *Heb.* 11. ergo neque fides. Ant. prob. Fides eſt *Sperandarum ſubſtantia rerum*. Beati autem, qui Deum in ſe vident, eumque habent ſibi intime præſentem, imo eum poſſident, Deum ſperare non poſſunt: ait enim Paulus, Roman. 8. verſ. 24. &c. *Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus*. Beati autem, qui Deum poſſident per viſionem, nihil ulterius expectant, cum omne bonum poſſideant. Rurſus: fides eſt *Argumentum non apparentium*; ideſt (ut exponit S. Thom. in capit. 11. ad Hebr. lect. 1.) *certa apprehenſio eorum, quæ non videt*. Beati vero, qui Deum vident, nihil eſt, quod non videant, & illis ſit non apparens, de iis, quæ hic fide divina credimus: ſed impoſſibilitatem fidei cum clara Dei viſione jam ſuperius oſtendimus *Qu.* 1. *Dub.* 7. quo Lectorem remitto.

XIX. Objici ſolet Irenæus *libr.* 4. *cap.* 15. modo 12. dicens: *Omnibus cæteris evacuatis manere fidem, ſpem, dilectionem*: & Tertullianus *lib. de Patientia cap.* 12. ubi ait: *Exhauriuntur linguæ, ſcientia, prophetia: permanent fides, ſpes, dilectio*.

Sed quantum conjicere potui, mens horum Patrum non eſt aſſerere, in futura gloria manſuras fidem, & ſpem; ſed contraponere legem novam veteri, nimirum, quod cæteris evacuatis, quibus lex vetus gloriabatur, maneant, tamquam fundamentalia legis novæ præcepta, fides, ſpes, charitas.

XX. Objici ſolet. D. Paulus, & Moyſes, ut probabiliter diximus, *Tom.* 1. *in* 1. *P. Tract. de Viſione Q.* 2. *Dub.* 1. Deum clare viderunt: & tamen in eis manſit habitus fidei.

Sed ibidem §. 3. *n.* 9. reſpondimus, eos viſiſſe quidem clare Deum, tranſeunter tamen, non permanenter, nec habuiſſe ſtatum beatitudinis, ſed ſolum actum: & ideo in eis potuiſſe habitum fidei permanere. Videantur ibi dicta.

XXI. Objici ſolet, Beatis multa a Deo revelari, ac proinde in eis manere fidem.

Sed

Sed reſpondetur, multa quidem a Deo revelari, ſed non ea, de quibus modo eſt fides theologica, ut ſunt Deus, & myſteria Deum concernentia: hæc enim omnia Beati clare vident. Solum revelantur Beatis aliqua, quæ ad eorum beatitudinem eſſentialem non pertinent: & quidem revelatione non obſcura, ſed clara, & prophetica.

DUBIUM III.

An in Hæretico diſcredente unum Articulum Fidei maneat Fides Theologica circa alios, quos credit?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dutandus ſentire videtur, in hæretico pertinaciter negante unum fidei articulum, adhuc manere habitum fidei, ſaltem informis, circa alios. Sententia tamen D. Thom. hac *q. 5. art.* 3. & communis eſt, hæreticum negantem unum articulum, non habere fidem ſupernaturalem de aliis, imo nec naturalem, ſed meram opinionem. Unde

II. Dico. Qui vel unum articulum fidei pertinaciter diſcredit, & negat, nequit credere alios fide divina: unde uno actu infidelitatis habitum fidei divinæ amittit. Adeo certa reputatur hæc aſſertio, ut oppoſita videatur cenſura digna. Opponitur enim Sacræ Scripturæ, 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 19. ubi dicitur: *Quidam . . . . circa fidem naufragaverunt, ex quibus eſt Hymeneus & Alexander*. Super quæ S. Joann. Chryſoſtom. Homil. 5. *Sicut* (inquit) *ille qui naufragium facit, amiſſis omnibus, nudus evadit: ita is, qui ex fide excidit, nihil ſibi ex Dei donis ac virtutibus amplius retinet*. Ibidem *cap.* 6. *v.* 4. De homine hæretico loquens, ait: *Superbus eſt, & nihil ſciens*. Et *v.* 21. hortans Timotheum, ut evitet *Oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ*, adjicit, *quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*. Ex quibus teſtimoniis ſequitur, hæreticos circa fidem naufragare, ſeu fidei naufragium, ſeu jacturam facere, ſicut naufragantes ſolent facere jacturam ſuorum bonorum temporalium. Item: nihil ſcire, ideſt nihil credere per veram fidem Chriſtianam. Denique: circa fidem excidere, ideſt, fidem amittere, vel a fide aberrare. Quare Concil. Trident. *Seſſ.* 6. *c.* 16. docet, gratiam amitti, *Non modo infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato*.

III. Deinde probatur. Hæretici hoc ipſo, quod ſunt hæretici, extra Eccleſiam ſunt, nec ſunt amplius membra Chriſti: hæreticus autem eſt, qui negat unum articulum, etſi alios non neget. Quo ſuppoſito ſic arguo. Si negans unum articulum haberet fidem divinam circa alios, non eſſet extra, ſed intra Eccleſiam, eſſetque actualiter membrum Chriſti: ſed hoc dicendum non eſt: ergo &c. Minor probatur. Ratio conſtituens aliquem intra Eccleſiam, & faciens membrum Chriſti, eſt conjunctio cum Chriſto per fidem, ſecundum quam Chriſtus, ut caput, influit in membra: unde peccatores, etſi charitatem non habeant, quia tamen habent fidem, licet informem, ſunt actu intra Eccleſiam, & membra Chriſti. Ergo &c.

IV. Confirmat. Si diſcredens unum articulum, & non alios, haberet fidem divinam circa iſtos, eſſet ſimul intra Eccleſiam, & extra illam, membrum Chriſti, & non membrum, Fidelis, & Infidelis; imo abſolute dici deberet Fidelis: ſicut is, qui plures concluſiones philoſophicas novit; etiamſi circa unam, vel alteram erret, nihilominus abſolute dicitur Philoſophicus: ſed hæc omnia abſurda eſſe, nemo non videt; ergo &c.

V. Probat. Secundo a pari. Si aliquis, antequam ſuſcipiat fidem, ſit ita affectus, ut nolit credere unum certum articulum, diſpoſitus tamen credere cæteros, hic nunquam erit fidelis fide divina, quamvis alios credat; ergo ſi poſt ſuſceptam fidem quis ſimiliter prave afficiatur, fidem, quam ſuſceperat, amittet. Conſ. prob. Tum quia: ut docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 4. *art.* 4. *ad* 3. non minus eſt donum gratiæ fidei conſervatio, quam infuſio: quo ſit, ut diſpoſitio, quæ repugnat infuſioni, repugnet etiam conſervationi fidei. Tum a ſimili: ſicut enim aliquis unum hominem odio proſequens, quamvis omnes alios diligat, non poteſt recipere, nec conſervare habitum charitatis: ita qui prave afficitur circa unum articulum credendum, etſi alios credere velit, nec recipere, nec conſervare habitum fidei poteſt. Quia ſicut charitas movet ad amandum omnes omnino homines: ita & fides ad credendum omnia omnino a Deo revelata.

VI. Prob. tertio. Ratione D. Thom. hac *qu.* 5. *art.* 3. ſublata ab aliquo ratione formali, & ſimul conditione objecti alicujus habitus, ille habitus perſeverare non poteſt: ſed ab eo, qui diſcredit unum articulum, quamvis non diſcredat alios, aufertur ratio formalis habitus fidei; ergo &c. Min. prob. Ratio formalis fidei divinæ eſt divina revelatio, regula autem diſcernendi revelata a non revelatis eſt doctrina, & propoſitio Eccleſiæ: ſed qui Deo revelanti omnes articulos, & per Eccleſiam atteſtanti omnes a ſe revelatos, alios crederet, unum tamen credere nollet: eos, quos credit, non crederet ex ratione formali fidei, nempe, ex auctoritate divina, ſed crederet ex propria voluntate, & exiſtimatione; alias cum divina auctoritas omnes revelaverit, & revelaverit etiam, Eccleſiam in eis proponendis errare non poſſe, deberet Eccleſiæ æqualiter proponenti omnes, & æqualiter omnes credere; ergo &c. Sicut ergo ſi Fabius mihi diceret: quæcumque Titius tibi propoſuerit, ut a me dicta, accipe ut talia; ego Titio mihi proponenti plura, ut a Fabio dicta, aliqua crederem, alia credere nollem, non ſolum auctoritatem Titii, ſed & Fabii contemnerem: ita ſi Deo dicente, quæcumque tibi Eccleſia propoſuerit, ut a me revelata, accipito ut talia; ego unum credo; ut a Deo revelatum, aliud non credam, non ſolum auctoritatem Eccleſiæ, ſed & auctoritatem Dei contemno.

VII. Ex his percluditur reſponſio quorumdam dicentium, hæreticum diſcredentem unum articulum, non dubitare de auctoritate Dei revelantis, quaſi fallax ſit; ſed dubitare, an articulus ille a Deo revelatus ſit: ſi enim exiſtimaret, a Deo revelatum eſſe, illum ſtatim crederet. Nam cum Deus revelaverit, quod quoties Eccleſia proponit aliquid ut revelatum, illud ut revelatum certo credendum ſit: qui Eccleſiæ atteſtanti, ut revelatum, credere non vult, eſſe revelatum, negat, non ſolum auctoritatem Eccleſiæ, ſed auctoritatem Dei; qui teſtimonium Eccleſiæ eſſe infallibile in doctrina fidei revelavit. Credit ergo, non Deo revelanti, non Eccleſiæ proponenti, ſed propriæ phantaſiæ, ac exiſtimationi. Unico verbo credit ſibi, præſumens, ſibi datum eſſe ſpiritum diſcernendi revelata a non revelatis, quem negat, datum fuiſſe Eccleſiæ: contra quem ſpiritum privatum locuti ſumus ſupra *Q.* 1. *Dub.* 2. §. 2.

VIII. Rem hanc in praxi pono. Si quæras a Catholico, cur credat, omnes libros in Sacra Scriptura contentos eſſe a Deo revelatos? Reſpondebit: quia Eccleſia Catholica omnes ut a Deo revelatos proponit. Si autem quæras a Lutherano, vel Calviniſta: cur credat, aliquos Sacræ Scripturæ libros eſſe a Deo revelatos: aliquos, ut *Sapientia, Eccleſiaſticum &c.* eſſe a Deo revelatos neget; certe non reſpondebit, propter auctoritatem Eccleſiæ. Quia cum hæc omnes æqualiter proponit ut revelatos, aliquos credit, alios non credit. An propter auctoritatem Dei? At unde illi conſtat, hos divinam continere auctoritatem, illos non? Non aliud reſpondere poterit, niſi quia ad hoc ipſum movet proprium judicium, propria phantaſia, perſuaſio, ſeu verius ſuperbia, qua ſibi arrogat judicium infallibile, quod negat Eccleſiæ.

Recte igitur S. Thomas hac qu. 5. art. 3. *Manifeſtum eſt* (inquit) *quod ille, qui inhæret doctrinæ Eccleſiæ tamquam infallibili regulæ, omnibus aſſentit, quæ Eccleſia docet, alioquin, ſi de his, quæ Eccleſia docet, quæ vult, tenet, & quæ non vult, non tenet; non jam inhæret Eccleſiæ doctrinæ, tamquam infallibili regulæ, ſed propriæ voluntati . . . . Unde manifeſtum eſt, quod talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, ſed opinionem quamdam ſecundum propriam voluntatem*.

§. II.

Occurritur Fundamentis Contrariis.

IX. Opponunt primo. Qui labitur in hæreſim circa unum articulum, eamdem facilitatem, & firmitatem experitur circa alios, ut habebat ante; ergo eos vere credit, quia Deus eos revelavit, & fide divina, ut prius.

X. Reſpondeo, negando in primis ant. Qui enim deficit a fide unius articuli pertinaciter, viam ſibi parat facilem ad negandum alios, ut experientia teſtatur, & maxime in Lutherano, qui a negando valore indulgentiarum initium hæreſis ſumens, ad negandos alios articulos ſenſim præceps ruit —— Deinde dico, falli hæreticum, dum putat, facilitatem, ac firmitatem, quam experitur circa alios articulos, eſſe a fide theologica, & eamdem, ac prius. Eſt enim in eo relicta ex priſtina conſuetudine, & aſſuefactione eos credendi, vel ex ratione, ac judicio humano. *Si enim* (inquit S. Thom. in 3. diſt. 23. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 2.) *habitu fidei ad hæc credenda inclinaretur, contraria fidei refutaret: ſicut omnis habitus renititur eis, qui contra illum habitum ſunt*. Simile aliquid eſt in eo, qui demonſtrative aliquid cognoviſſet, & per modum, ſive alia ex cauſa oblitus eſſet medii demonſtrationis: is teneret quidem firmiter illam concluſionem; ſed tamen non teneret illam per ſcientiam, nec aſſentiretur illi eodem modo, quo prius, ſed diverſo.

XI. Opponunt ſecundo. Sicut ſub fide continentur multi articuli; ita ſub una ſcientia continentur multæ concluſiones: ſed homo aliquis poteſt habere ſcientiam, puta, Geometriæ, circa aliquas concluſiones, & errorem circa alias; ergo homo poteſt habere fidem circa aliquos articulos, & non circa alios.

XII. Reſpondet S. Thom. hac qu. 5. art. 3. ad 2. *Quod in diverſis concluſionibus unius ſcientiæ ſunt diverſa media* (materialia) *per quæ probantur, quorum unum poteſt cognoſci ſine alio. Et ideo poteſt homo ſcire quaſdam concluſiones unius ſcientiæ, ignoratis aliis. Sed omnibus articulis fidei inhæret fides propter unum medium* (tam formale, quam materiale) *ſcilicet, propter veritatem primam propoſitam nobis in Scripturis; ſecundum doctrinam Eccleſiæ intelligentis ſane. Et ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret*. Sicut qui in ſcientia decederet a medio, non ſolum materiali, ſed formali, & ſpecifico illius ſcientiæ, totaliter habitu ſcientiæ careret. Unde Ariſtoteles Parmenidem, & Meliſſum negantes motum, qui eſt medium formale, & ſpecificum phyſicæ, appellat non phyſice loquentes. Cum ergo in fide ſit unicum medium, & hoc formale ex dictis; qui decidit ab iſto, quomodo decidit qui unum articulum negat, totaliter decidit a fide.

XIII. Sed inſtant. Sicut homo obedit Deo ad credendum articulos fidei; ita etiam ad ſervanda præcepta legis: ſed poteſt eſſe obediens circa quædam mandata, & non circa alia; ergo poteſt habere fidem circa quaſdam articulos, & non circa alios.

XIV.

XIV. Respondeo, dist. min. relate ad motiva proxima, & materialia, conc. min. Relate ad motivum formale, & primum, neg. min. *Diversa præcepta legis* (inquit S. Th. laudatus ad 3.) *possunt referri, vel ad diversa motiva proxima, & sic unum sine alio servari potest: vel ad unum motivum prisic unum sine alio servari potest: vel ad unum motivum primum, quod est perfecte obedire Deo, a quo decidit, qui unum præceptum transgreditur, secundum illud, Jacobi 2.* Qui offendit in uno, factus est omnium reus. Et in hoc stat paritas cum fide.

XV. Opponunt tertio. Qui ex pia affectione movetur ad credendum, credit fide divina: sed potest quis pie affici circa aliquos articulos, & non circa alios; ergo &c.

Respondeo neg. absolute min. Pia enim affectio voluntatis ad credendum fide divina est desiderium boni repromissi credentibus, non hunc, vel illum articulum, sed omnia, quæ fides dictat; & captivantibus intellectum in obsequium ejus, quoad omnia, quæ Ecclesia, ut a Deo dicta, proponit. Quare non stat, intellectum pie affici, ut requiritur ad fidem divinam, circa unum articulum, & male affici circa alios.

XVI. Opponunt quarto. Theologus incidens in hæresim conservat Theologiam; ergo & incidens in hæresim servat fidem. Conf. prob. Quia Theologia essentialiter supponit fidem, & ab ea dependet, cum ab ea accipiat sua principia.

Ant. vero prob. Tum quia, Theologus hæreticus circa unum articulum, aliquando conscribit Tractatus optimos circa alios. Tum quia: Theologus per multos actus comparavit Theologiæ habitum; ergo non potest per unum actum contrarium illum amittere.

XVII. Respondeo neg. ant. Theologus enim incidens in hæresim circa unum articulum, non potest retinere habitum veræ Theologiæ: non enim potest manere habitus scientiæ, destructo principio formali. Manet tamen in eo aliquid simile Theologiæ æquivoce, sicut homo mortuus dicitur homo, & manus abscissa dicitur manus, quamvis per experientiam hoc nequeat dignosci: hinc est, quod tractatus Theologicos in aliis materiis possit bene conscribere, sicut prius. Esto autem unus actus contrarius nequeat non tollere habitum acquisitum, quando non tollit rationem formalem illius, vel principium, cum quo essentialiter connectitur: secus tamen, quando actus contrarius tollit rationem formalem habitus, vel aliquid, cum quo essentialiter connectitur; sicut unus actus hæresis tollit rationem formalem fidei, cum qua essentialiter connectitur habitus Theologiæ.

XVIII. Opponunt quinto varia. Primo. Apostoli tempore Passionis Christi amiserunt fidem in Christum: nec tamen dicendum est, eos amisisse fidem Trinitatis, vitæ æternæ, & similium.

Secundo. Tam Judæi, quam hæretici asserentes, se recipere, vel libros propheticos, vel Evangelia tamquam verbum Dei, non sunt arguendi mendacii; ergo circa eas Scripturas veram habent fidem divinam.

Tertio. Hæreticus ad Ecclesiam rediens non corrigitur in assensu verorum articulorum, quos credidit; ergo eos credidit, sicut oportet.

Quarto. Habitus fidei humanæ, quo quis homini credit, non amittitur per hoc, quod in aliquo ei non credat; ergo nec habitus fidei divinæ.

Quinto. Si cognitio recta, quam hæreticus de rebus aliis, ac mysteriis divinis non esset a fide infusa, non esset donum gratiæ, sed liberi arbitrii viribus tribuenda: quod tamen negat Aug. *l. de Patientia*, dicens, c. 27. quod donum Dei est, cum Schismaticus patitur: *Non pro errore, qui eum separavit, sed pro veritate Sacramenti, seu Verbi, quæ apud eum remansit.*

XIX. Respondeo ad hæc. Ad primum nego. Apostolos tempore Passionis amisisse fidem internam in Christum, quamvis exterius illam, vel negaverint, vel confiteri erubuerint. Unde S. August. *lib. contra Mendacium cap. 6.* quod Petrus *in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat*. Quod si velut increduli de Christi Resurrectione arguuntur; hoc est, non quia infideles eam credere nollent, sed quia infirmi, & tardi ad credendum.

XX. Ad secundum neg. conf. Ex quo enim hæreticus, vel Judæus asserens, se hos, vel illos libros recipere tamquam divinos, non sit arguendus mendacii; solum sequitur, quod ita mente sentiat, ut dicit, non vero quod ita sentiat fide divina: alias non solum aliquos, sed omnes divinos esse sentiret. Hos ergo, quos ut divinos recipit, tales asserit; vel quia in sua secta tales judicantur, & ideo ex assuefactione tales pronuntiat: vel motus, & a Deo adjutus, ne omnes respuat, ut infra dicetur.

XXI. Ad tertium nego pariter conf. Quamvis enim hæreticus ad Ecclesiam rediens, ab ea non corrigatur in veris articulis, quorum assensum in hæresi retinuit: corrigitur tamen a Deo, quoad modum assensus, ut illos articulos iterum suscipiat fide divina, quos prius propria electione, non sine tamen adjutorio gratiæ protegentis eum, ne in plures errores caderet, retinebat.

XXII. Ad quartum nego conseq. Auctoritas enim hominis, cui fides humana nititur, non est prorsus, & in omnibus infallibilis: unde potest aliquis ei credere in uno, & non in alio. At auctoritas, cui fides divina innititur, est in omnibus infallibilis: unde qui eam rejicit in uno, eam rejicit in omnibus.

XXIII. Ad quintum nego illatum. Assensus enim, quos hæretici habent de veris articulis, esto non sit a fide, sunt tamen a Dei munere gratuito, & supernaturali auxilio conservatis in illis habilitatem, & promptitudinem ad assentiendum articulis, quos adhuc retinet. Ut enim S. August. citatus, lib. de Patientia cap. 27. *Sicut negandum non est, hoc esse donum Dei; ita intelligendum est, alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, qui sursum libera est mater nostra . . . . Alia vero quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & schismatici, vel hæretici comparantur.*

XXIV. Sed instabis. Idem S. August. *libr. de Unico Baptismo contra Petilianum cap.* 3. videtur, Judæis, & hæreticis tribuere veram fidem, quoad ea, quæ credunt. De Judæo enim nondum ad Christum converso dicit: *Quod vero unum Deum colendum credit, quod omnia Idola, & Sacrilegia Gentium detestatur, quod futurum expectat judicium, quod vitam sperat æternam, quod de carnis resurrectione non dubitat, laudamus, approbamus, agnoscimus, sicut credebat credenda, sicut tenebat tenenda firmamus*. Et cap. 15. dicit Judæo: *Tene, ab uno vero Deo Mundum conditum esse, quod tenebas: sed crede, jam Christum resurrexisse a mortuis, quod non credebas*. Sentit ergo, in eo, qui aliquos articulos discredit, esse veram fidem, quoad alios, quos credit.

XXV. Respondeo tamen, nego conseq. Neque enim est Augustini mens, quod id, quod credit Judæus, antequam fiat Christianus, credat fide divina; sed ejus assensum laudat, quia vero assentitur, vultque, ut illum teneat, quia in hoc ejus judicium non est corrigendum: eumque propterea laudat, & approbat; quia licet non fide divina assentiatur, assentitur tamen vero, & talis assensus donum Dei est, esto non filiorum. Quod autem hæc sit Augustini mens, probatur ex iis, quæ subjicit *cap.* 5. ubi postquam dixit Judæo: *Tene, ab uno vero Deo Mundum conditum esse, quod tenebas*: idem dici posset, asserit, Idololatræ, his verbis, sicut Idolorum cultor dicitur: *Tene, ab uno vero Deo Mundum conditum esse, quod tenebas*: atqui nullus dicet, Idolorum cultorem fide divina credere, Mundum ab uno vero Deo conditum esse; ergo nec putandum est, Augustinum hoc dixisse de Judæo. Solum ergo intendit ibi S. Doctor, quod sicut falsitas multorum, in quibus Judæus, Paganus, vel hæreticus errat, non præjudicat veritati aliarum rerum, quas credit, & in quibus non errat: ita nec præjudicat veritati aliarum rerum, quas credit, & in quibus non errat: ita nec præjudicat veritati Sacramenti Baptismi, & hoc contra Petilianum ostendere intendebat.

D U B I U M IV.

An in Peccatore Maneat Fides Informis?

§. I.

An detur Fides Informis, & quid sit?

I. Celebris est apud Doctores Catholicos divisio fidei in formatam, quæ scilicet cum charitate conjungitur, & informem, quæ est sine charitate. Hanc divisionem, tamquam nugatoriam, subsannat more suo Calvinus *lib. 3. Instit. cap.* 2. §. 8. Ait enim; *Ac prime refutanda est, qua in Scholis veluti nugatoria fidei formata, & informis distinctio. Imaginantur enim, eos credere quidquid cognitu necessarium est ad salutem, qui nullo timore Dei, nullo pietatis sensu tinguntur. Quasi vero Spiritus Sanctus, corda nostra in fidem illuminando, non sic nobis adoptionis nostræ testis*. Sed hic error fundatur in falsa persuasione, qua ipse, omnesque Acatholici tenentur; quamque Tomo præcedente *Tract. de Justificatione* refutavimus, nimirum, quod sola fides est, quæ nos justos facit, & apprehendit justitiam Christi. Subdit enim ibidem post multa: *Cum enim fides Christum amplectatur, ut nobis offertur a Patre, ille vero non in justitiam modo, peccatorum remissionem, & pacem offeratur, sed in sanctificatione quoque, & fontem aquæ vivæ; eum haud dubie rite cognoscere nunquam poterit, quin significationem spiritus simul apprehendat.*

II. Catholici vero omnes, qui fidem ponunt quidem justificationis initium, & radicem, negant tamen, ipsam solam sufficere ad justificationem, nisi perveniat ad charitatem; optime distinguunt fidem formatam, & charitati conjunctam, Deoque reconciliantem, a fide informi, & a charitate sejuncta, qua quis credit quidem Deo, ac omnibus a Deo revelatis assentit, sed non vadit ad Deum per charitatem: ideoque distinguunt inter credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Duo enim priora, ut docet D. Th. hac 2. 2. *q.* 2. *art.* 2. & *in* 3. *dist.* 23. *q.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. pertinent ad intellectum, tertium vero ad voluntatem. Nec tamen negant Catholici, imo constanter asserunt, ad credendum requiri actum voluntatis, seu piam affectionem erga Deum, & ab ipso revelata, ut superius diximus; sed hanc affectionem voluntatis, non dicimus, esse actum charitatis: quia dicimus esse quidem, donum Dei, & Spiritus Sancti, sed moventis, nondum tamen inhabitantis, viam parans ad justitiam, sed non, quod sit ipsa apprehensio justitiæ.

III. Hinc fides informis est donum Dei infusum elevans intellectum ad assentiendum Deo revelanti etiam ea, quæ supra ejus captum sunt. Unde D. Thom. *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 3. *art.* 2. ait: *Nulla autem potentia secundum suam naturam determinatur ad illa, quæ sunt supra naturam rationis nostræ, quorum est fides. Et ideo ad hunc actum indigemus habitu, qui non est acquisitus; qui quidem in duobus nos adjuvat: in hoc scilicet, quod intellectum facit facilem ad credendum credenda, contra duritiem; & discretum ad refutandum non credenda, contra errorem*. Et igitur, quod fides informis non est, ut eam vocat Calvinus, frigida qualitas, & otiosa; dum reddit hominem facilem ad credendum credenda, & promptum ad refutandum non credenda, præservans eum contra duritiem, & con-

& contra errorem. Similiter dum ei proponit pœnam æternam, excitat in homine timorem Dei justi judicis, & attritionem de peccatis; dum ei proponit propitiatorem Christum, excitat in eo spem veniæ, & reconciliationis, aliosque actus pios, & salutares, quos recenset Trident. *Sess.* 6. *cap.* 6. de quibus Tom. præc. locuti sumus.

IV. Dices tamen primo. Dona Dei non sunt imperfecta: sed fides informis est imperfecta, caret enim debita forma; ergo &c.

Confirmat. Sicut actus dicitur deformis propter hoc, quod caret debita forma; ita etiam fides dicitur informis, propter hoc quod caret debita forma: sed actus deformis non est donum Dei, imo nec a Deo; ergo nec fides informis.

V. Respondeo ex D. Thom. 2. 2. qu. 6. art. 2. ad 1. *Quod fides informis etsi non sit perfecta simpliciter in ratione virtutis, est tamen perfecta quadam perfectione, quæ sufficit ad fidei rationem*. Eo vel maxime, quod fides, ut est a Deo, & donum ejus, est perfecta: sed quod in ea sit aliqua imperfectio, hoc accidit ex parte recipientis, ut docet idem S. Doct. *in* 3. *dist.* 23. *qu.* 3. *art.* 2. *ad* 5. Sicut quod diaphanum non perfecte illuminetur, non est a Sole, sed ex indispositione, quæ est in diaphano.

VI. Ad Confirmat. nego min. cum eodem S. Doctore 2. 2. qu. 6. art. 2. ad 2. *Quod deformitas actus est de ratione speciei ipsius actus, secundum quod est actus moralis . . . dicitur enim actus deformis, per privationem formæ intrinsecæ; quæ est debita commensuratio circumstantiarum actus: & ideo non potest dici causa actus deformis Deus, qui non est causa deformitatis, licet sit causa actus, in quantum est actus. Informitas autem fidei* (inquit ibidem in Corp.) *non pertinet ad rationem ipsius fidei; cum fides dicatur informis propter defectum exterioris formæ. Et ideo illud est causa fidei informis, quod est causa fidei simpliciter dictæ*. Sicut potest dici aliquid causa diaphani, quamvis non sit causa tenebrositatis, quæ non est de ratione speciei diaphani, sed ei ab extrinseco supervenit.

Aliter etiam respondet S. Doctor ibi ad 2. *Quod deformitas non solum importat privationem debitæ formæ, sed etiam contrariam dispositionem. Unde deformitas se habet ad actum, sicut falsitas ad fidem. Et ideo sicut actus deformis non est a Deo: ita nec aliqua fides falsa. Et sicut fides informis est a Deo: ita etiam actus, qui sunt boni ex genere, quamvis non sint charitate formati, sicut plerumque in peccatoribus contingit, sunt a Deo*. Similiter respondet in 3. *dist.* 23. *q.* 3. *art.* 2. 6. Ex quibus formatur hæc ratio. Actus moraliter boni, qui ex fine honesto fiunt a peccatore, sunt a Deo, alias omnes actus peccatoris essent peccata, quod Tomo præcedente *Tract. de Necessitate Gratiæ* rejecimus contra Bajum.

VII. Dices secundo. Quemcumque Deus sanat, totaliter sanat: sed per fidem sanatur homo ab infidelitate; ergo per eam sanatur homo ab omni peccato: cum ergo fides informis non sanet hominem ab omni peccato, hoc enim sola fide formata consequitur: ideo &c.

VIII. Respondeo cum eodem S. Thom. 2. 2. qu. 5. art. 2. ad 3. *Quod ille, qui accipit a Deo fidem absque charitate, non simpliciter sanatur ab infidelitate, quia non removetur culpa præcedentis infidelitatis; sed sanatur secundum quid, ut scilicet, cesset a tali peccato. Hoc autem frequenter contingit, quod aliquis desistat ab uno actu peccati, etiam Deo hoc faciente; qui tamen ab actu alterius peccati non desistit, propria iniquitate suggerente. Et per hunc etiam modum datur aliquando homini a Deo quod credat, non tamen datur ei charitatis donum: sicut etiam aliquibus absque charitate datur donum prophetiæ, vel aliquid simile.*

IX. Colligo ex dictis, fidem informem non distingui specie essentiali a fide formata: & hoc cum D. Thom. 2. *qu.* 4. *art.* 4. Ubi refert, voluisse aliquos, alium esse habitum fidei formatæ, & informis; sed adveniente fide formata, tolli fidem informem: & similiter homini post fidem formatam peccanti mortaliter succedere alium habitum fidei informis a Deo infusum —— *Sed hoc*, ait S. Doct. *non videtur esse conveniens, quod gratia adveniens homini aliquod Dei donum excludat: neque etiam quod aliquod Dei donum homini infundatur, propter peccatum mortale*. Et præterea si fides formata est alterius speciei fide informi, ergo qui habet fidem informem non erit ejusdem speciei fidelis cum illis, qui habent fidem formatam: quia habebit aliam rationem specie diversam assentiendi articulis fidei.

Imo si per peccatum mortale habitus fidei formatæ amittitur; ergo aliqua fides per peccatum amittitur: qui est error Lutheri damnatus a Tridentino, *Sess.* 6. *Can.* 28. ut infra. Tunc autem inquirendum erit: an fides informis, quæ dicitur, de novo a Deo produci, sit vera, & univoce fides cum fide formata.

X. Alii vero dixerunt, habitus fidei formatæ, & informis, esse quidem diversos; sed tamen adveniente fide formata non tolli habitum fidei informis, sed simul manere in eodem cum habitu fidei formatæ —— *Sed hoc* (ait S. Thom.) *etiam videtur esse inconveniens, quod habitus fidei informis in habente fidem formatam remanent otiosus. Et ideo aliter dicendum, quod idem est habitus fidei formatæ & informis.*

Et rationem dat. Nam habitus diversificatur secundum id, quod per se ad habitum pertinet, non secundum id quod supervenit ei ab extrinseco: sed esse formatum, vel informem, non per se ad habitum fidei pertinet, sed supervenit &c. ergo &c. Min. prob. Cum fides sit perfectio intellectus, illud per se ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum: quod autem pertinet ad voluntatem, non per se pertinet ad fidem, ita ut fidei habitus per hoc possit diversificari: sed distinctio fidei formatæ, & informis pertinet ad voluntatem, idest, secundum charitatem, non autem secundum illud, quod pertinet ad intellectum; ergo &c. & consequenter habitus fidei formatæ, & informis non sunt diversi habitus fidei formatæ, & informis non sunt diversi habitus.

XI. Sed dices cum Calvino, loco citato, quod fides magis pertinet ad voluntatem, quam ad intellectum, juxta illud Pauli Rom. 10. ver. 10. *Corde enim creditur ad justitiam*: & assensus fidei piam affectionem voluntatis per se requirat, ut superius ostendimus. Quibus addi potest, quod fides formata est virtus, informis vero non est virtus: idem autem habitus nequit esse virtus, & non virtus.

XII. Sed hæc non obstant. Non primum. Quia Paulus dicit, *corde creditur*, non quia credere sit actus voluntatis: sed quia, ut ait S. Thom. ibi lect. 2. *Cæterum, quæ ad exteriorem Dei cultum pertinet, potest homo nolens; sed credere non potest, nisi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis, sed ex voluntate*.

Non secundum. Quia pia affectio, quæ requiritur, ut intellectus moveatur ad credendum, non debet esse semper ex amore ultimi finis efficaci, perfecto, & ex charitate; sed sufficit, ut sit quædam Spiritus Sancti motio inclinans ad assensum, & afficiens hominem etiam imperfecte, inefficaciter circa credibilia, & bona credentibus repromissa. Unde superius non diximus, talem affectionem procedere a charitate; sed ab alio habitu supernaturali, reductive pertinente ad fidem, qui potest esse etiam in eo, in quo non est charitas.

Neque tertium. Quod enim fides informis non sit virtus, non est quia careat essentia, & substantia virtutis; sed quia caret statu, & perfectione virtutis, vitio, & defectu subjecti, in quo ponitur, utpote non habentis charitatem: qua tamen adveniente, idem habitus fidei de informi fit formatus, & statum, ac perfectionem virtutis acquirit: sicut diaphanum, quod in absentia lucis erat tenebrosum, adveniente luce fit illuminatum. *Quando enim imperfectio non est de ratione rei imperfectæ, tunc illud numero idem, quod erat imperfectum, fit perfectum, sicut pueritia non est de ratione hominis; & ideo idem numero, qui erat puer, fit vir*. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 4. art. 4. ad 1.

XIII. Ex quo infertur, fidem informem posse fieri formatam, & e converso, invariata fidei substantia. Quia ex dictis, per hoc, quod fides informis fit formata, non mutatur ipsa fides, quæ semper infallibiliter tendit in suum objectum, quod est verum; sed mutatur subjectum fidei, quod est anima, dum a non habente charitatem, ad habentem transit: quæ charitas faciens fidem formatam, non est de essentia, nec intrinseca perfectio fidei, cum fides per se spectet ad intellectum, charitas autem ad voluntatem.

Nec refert, quod fides informis sit mortua, fides autem formata sit viva: illud autem, quod est mortuum, idem manens, non fit vivum —— Nam respondet D. Thom. laudatus ad 2. *Quod illud, quod facit vitam animalis, est de ratione ipsius, quia est forma essentialis ejus, scilicet anima. Et ideo mortuum fieri vivum, non potest; sed aliud specie est, quod est mortuum, & quod est vivum. Sed id, quod facit, fidem esse formatam, vel vivam, non est de essentia fidei. Et ideo non est simile*.

§. II.

Resolutiones Dubii.

XIV. Dico. Habitus fidei Theologicæ quoad substantiam remanet in peccatore, esto non quoad statum perfectum virtutis.

Prior pars est de fide statuta in Tridentino, contra Lutherum, & Calvinum, Sess. 6. Can. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum: anathema sit*.

Probatur insuper. Fides destruitur per solam infidelitatem, quæ sola ei directe opponitur: sed non omne peccatum est infidelitatis; contrarium enim damnatur a Tridentino Sess. 6. Can. 27. *Si quis dixerit, nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis . . . anathema sit*; ergo non omne peccatum destruit fidem.

Tertio prob. Homo, qui baptizatur in peccato mortali existens, vere fit Fidelis, & Christianus; ergo acquirit veram fidem: & tamen cum in peccato sit, non acquirit charitatem. Conf. prob. Solus enim character baptismalis non sufficit facere hominem fidelem, cum hic etiam in hæreticis inveniatur. Ant. etiam prob. Nam ille homo non est paganus, hæreticus, aut Judæus; ergo vere est Fidelis.

XV. Confirm. Aliquis existens in peccato mortali potest in Deum sperare, de peccatis attritione supernaturali dolere, Deum auctorem supernaturalem invocare: sed nemo potest sic sperare, sic dolere, sic invocare, nisi fidem habeat, & quidem infusam; ergo &c. Min. ex illo Roman. 10. ver. 14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?*

XVI. Hoc demum testantur Patres, qui licet asserant, fidem sine operibus otiosam esse, vacuam, & inutilem ad salutem, non negant tamen, esse veram fidem. Inter hoc S. Augustin. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 18. ait: *Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse*. Lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 8. *Quid ergo prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solum fidei sacramentum, ubi lethali vulnere schismatis perempta est sanitas charitatis?* & Serm. 92. *Potest* (inquit) *fieri, ut credas, venisse Christum, & non diligas Christum: non*

potest autem fieri, ut diligas Christum, non dicas, venisse Christum? Hoc fere integro libro *de Fide*, & *operibus* maxime *cap.* 22. & 23. Sed quia de hac re satis egimus *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Veritatibus Qu.* 3. *Dub.* 4. ne eadem hic repetantur, illuc Lectorem remitto, ubi Adversariorum momenta dissipata videbit.

QUÆSTIO IV.

De Actu Externo Fidei.

DE externa fidei confessione in hac quæstione agemus, nimirum, an sit actus procedens a fide: an de ea detur præceptum, & ad quid obliget, nec non quando.

DUBIUM I.

An Confessio Exterior Fidei sit Actus Elicitus a Fide?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DIco. Confessio exterior fidei est actus elicitus a fide. Ita S. Thom 2. 2. *qu.* 2. *art.* 1. Esto P. Oviedo sentiat oppositum. Probatur autem ratione S. Doctoris sic: *Actus exteriores illius virtutis proprie sunt actus, ad cujus fines secundum suas species referuntur: sicut jejunare secundum suam speciem refertur ad finem abstinentiæ, quæ est compescere carnem; & ideo est actus abstinentiæ:* sed confessio eorum, quæ sunt fidei, secundum suam speciem ordinatur, sicut ad finem, ad id, quod est fidei, secundum illud 2. ad Cor. 4. ver. 13. *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Ergo &c. Tum etiam quia *exterior locutio ordinatur ad significandum id, quod in corde concipitur;* ergo *sicut conceptus interior eorum, quæ sunt fidei, est proprie fidei actus; ita etiam & exterior confessio.*

II. Ex qua ratione patet, mentem S. Thomæ esse, quod exterior confessio fidei sit actus elicitus a fide, & non solum imperatus. Nam dicit, quod exterior confessio fidei *secundum suam speciem* ordinatur, sicut ad finem, ad id, quod est fidei: sed actus mere imperatus, & non elicitus ab aliqua virtute, non ordinatur *secundum speciem suam* ad finem virtutis imperantis, sed solum secundum accidens, quatenus participat de imperio talis virtutis: actus enim jejunandi, quia est actus solum imperatus a charitate, non ordinantur secundum speciem suam ad finem charitatis, sed tantum secundum accidens; quatenus hic & nunc subest charitatis imperio, seu qui jejunat, jejunat ob finem charitatis. E contra autem quia est actus elicitus a virtute abstinentiæ, secundum suam speciem ad finem abstinentiæ ordinatur, ad carnem nimirum compescendam; ergo &c.

III. Urgetur magis. Actus, qui procedit a fide, tamquam actus proprius, & nulla alia virtute mediante, est actus fidei ab ipsa elicitus, & non solum imperatus; actus enim ab aliqua virtute imperatus, non est actus proprius ejus, nec procedit immediate ab illa, sed mediante virtute, cui imperat elicientiam: sicut actus jejunii non est actus proprius, nec procedit imediate a charitate, sed media abstinentia, cui imperat, ut eliciat actum jejunii propter Deum. Sed D. Th. citatus *ad* 3. dicit, quod *fides interior... confessionem producit tamquam proprium actum, nulla alia virtute mediante;* ergo est actus a fide elicitus, & non solum imperatus.

§. II.

Solvuntur Argumenta Contraria.

IV. OBjicies primo. Idem actus non pertinet ad diversas virtutes elicitive: sed confessio pertinet ad pœnitentiam, cujus est actus: pertinet ad virtutem veracitatis, cujus est confiteri exterius veritatem, quam quis habet in mente; ergo &c.

V. Respondeo dist. maj. Idem actus secundum eamdem considerationem, conc. maj. Secundum diversam, nego maj. Ut enim docet S. Thom. hac qu. 3. art. 1. ad 1. *Triplex est confessio, quæ in Scripturis laudatur. Una est confessio eorum, quæ sunt fidei; & ista est proprius actus fidei, utpote relata ad finem fidei, ut dictum est. Alia est confessio gratiarum actionis, sive laudis: & ista est actus latriæ, ordinatur enim ad honorem Deo exterius exhibendum, quod est finis latriæ. Tertia est confessio peccatorum: & hæc ordinatur ad detestationem peccati, quæ est finis pœnitentiæ: unde pertinet ad pœnitentiam.*

Ad id quod additur de veracitate, dico, pertinere quidem ad veracitatem, quod homo talem se verbis exhibeat, qualis est in mente, absolute loquendo. Sed quod hoc faciat in rebus fidei, ad declarandum, se ex animo credere Deo, ad fidem pertinet. Sciendum est ergo; quod idem numero actus secundum varias considerationes potest diversarum virtutum esse materia. Sicut recitatio Symboli, quatenus ordinatur ad divinum cultum, est actus Religionis: quatenus ardua, est actus fortitudinis: quatenus fit ad assentiendum Deo etiam voce, est actus fidei.

VI. Objicies secundo exterior fidei confessio est actus fortitudinis superantis timorem; ergo non est actus fidei.

Respondeo, dist. ant. Fortitudinis, ut causæ per accidens, conc. ant. Ut causæ per se, nego ant. & conf. Fortitudo enim concurrit ad confessionem fidei, ut causa per accidens, ut removens scilicet impedientia fidei confessionem, puta, erubescentiam, vel timorem; non autem per se influendo in illam, Ita S. Thom. citatus *ad* 2. Actus autem tribuitur soli causæ per se.

VII. Objicies tertio. Sicut per fidei fervorem inducitur aliquis ad confitendum fidem exterius: ita inducitur ad alia opera bona exterius facienda: sed hæc non ponuntur actus fidei; ergo &c.

Si respondeatur, fidem ad alia opera bona concurrere mediantibus aliis virtutibus, & ideo solum imperative: ad confessionem vero fidei concurrere ut ad proprium actum, & nulla alia virtute mediante, ac proinde elicitive.

VIII. Contra est. Fides residet in intellectu, confessio autem fit ab ore, juxta illud Rom. 10. ver. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* sed actus elicitus ab aliqua virtute debet esse in eodem subjecto, in quo est virtus, a qua elicitur; ergo non elicitur a fide.

Secundo. Fidei actus est supernaturalis: at confessio fidei est naturalis, cum eliciatur ab ore, quod materiale est; ergo &c.

IX. Respondeo ad primam instantiam, neg. min. Non enim est necessarium, quod actus ab aliqua virtute elicitus, resideat in eadem potentia, in qua est virtus. Nam oratio est actus elicitus a Religione, quæ est in voluntate; cum tamen ipsa oratio sit in intellectu. Sed, ut actus ab aliqua virtute dicatur elicitus, requiritur, & sufficit, quod ab ea immediate, hoc est non mediante alio habitu, reguletur, ac dirigatur: & quod secundum suam speciem habeat laudem ab objecto formali, & honestate illius virtutis, & quod in illud tamquam in proprium finem ordinetur. Unde S. Thom. hoc *art.* 1. *ad* dicit, quod fides interior confessionem fidei producit, tamquam proprium actum nulla alia virtute mediante.

Eodem modo dico *ad* 2. quod confessio fidei, esto materialis, ut tamen immediate regulata a fide, supernaturalis evadit in significando, & exprimendo.

X. Dici etiam potest, quod esto fides residens in intellectu non possit se ipsa immediate juvare os materiale ad eliciendam confessionem externam fidei; id tamen potest immediate immediatione virtutis transeuntis transfusæ ad os: sicut ars, quæ residet in intellectu artificis, derivat quamdam virtutem ad manum, & ferram ad faciendum scamnum: & habitus Philosophiæ residens in intellectu derivat in os Philosophi virtutem ad proferendam ore philosophicam demonstrationem. Unde sicut scamnum est vere opus ab arte elicitum, & demonstratio ore prolata vere est elicitive ab habitu Philosophiæ: sic confessio fidei externa vere a fide est. Quando autem D. Thom. dicit, confessionem externam esse a fide, non mediante alia virtute; debet intelligi de virtute per modum habitus, & quæ non sit actualis influxus, & participatio fidei.

Ad secundum similiter dici potest; quod licet os sit materiale, attamen per virtutem derivatam a fide, quæ supernaturalis est, elevatur ad actum supernaturalem pariendum: sicut appetitus sensitivus esto materialis perficitur virtutibus supernaturalibus infusis. Quia, ut docet S. Thom. 1. 2. qu. 56. art. *Una virtus pertinere potest ad plures potentias: ita quod in una sit principaliter, & se extendat ad alias per modum diffusionis, vel per modum dispositionis, secundum quod una potentia movetur ab alia, vel secundum quod una potentia accipit ab alia.*

XI. Objicies quarto. Negare exterius fidem non est actus infidelitatis. Nam S. Petrus negavit exterius fidem: & tamen infidelis non fuit; ergo neque exterius confiteri fidem erit actus fidei.

XII. Respondeo, negare exterius fidem posse contingere, vel ex animo manifestandi internam incredulitatem: & sic actus infidelitatis est. Vel retinendo fidem interius, & illam exterius negando, solo metu mortis, sicut negavit S. Petrus: & sic quemadmodum in eo, qui solum exterius confiteretur fidem, retenta in corde infidelitate, confessio illa actus fidei non esset: ita in eo, qui exterius tantum fidem negaret, retenta fide in corde, illa negatio actus infidelitatis non esset, saltem per accidens, & ratione subjecti.

XIII. Objicies quinto. Christus exterius confessus est, se esse Filium Dei, Angeli annuntiaverunt Pastoribus ejus nativitatem, & Gabriel Virgini Incarnationem; Magdalena insuper ejus Resurrectionem Apostolis nuntiavit: & tamen tales confessiones non fuerunt actus fidei, qui nec in Christo, nec in Angelis, nec in Magdalena, de Resurrectione Christi, fuit.

XIV. Respondeo, neque confessionem Christi, neque Angelorum, neque Magdalenæ, de Christi Resurrectione, fuisse confessiones fidei. Non enim fuit prolatio eorum, quæ cognoscebant per fidem; sed eorum, quæ sciebant per scientiam infusam, vel ocularem visionem, sicut Magdalena viderat Christum surrexisse. Sic nec confessio fidei facta ab hæretico est actus fidei divinæ, sed solum naturalis, & acquisitæ persuasionis: cum in hæretico fidem divinam non esse, superius ostensum sit.

DUBIUM II.

An detur Præceptum de Confitenda Exterius Fide?

§. I.

Existentia Præcepti Affirmativi.

I. DE duobus præceptis potest esse dubium; de affirmativo scilicet, & negativo. Affirmativum est de confitenda fide: negativum autem de fide non neganda. De utroque sermo erit, & primo de affirmativo. Quia vero præceptum, affirmativum esto semper obliget, non tamen ad semper; sed aliquando, & in talibus circumstantiis loci, temporis &c. ut docet D. Thom. hac *qu.* 3. *art.* 3. ideo hic quærimus: An detur præceptum de confitenda exterius fide aliquando; ita ut aliquando non sufficiat, eam retinere in corde, deinde quæremus, quando obliget hoc præceptum.

II. Dico primo. Datur præceptum naturale, divinum de confitenda exterius aliquando fide. Ita S. Thom. hac *qu.* 3. *art.* 2. & probat primo ex illo Pauli, Rom. 10. ver. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* ubi eamdem necessitatem statuit confessionis fides pro salute, ac fidei internæ pro justificatione acquirenda: at fides interna ex præcepto necessaria est ad justificationem; ergo confessio fidei ex præcepto necessaria est ad salutem. Unde *ver.* 9. dixerat: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo crediderit, quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris.* Videri potest S. Thomas super dictum locum Apostoli, *Lect.* 2. Quæ exponens etiam S. August. *lib. de Fide, & Symbolo cap.* 1. postquam dixit, quod *fides officium a nobis exigit, & cordis, & linguæ*, subjungit: *Quandoquidem in sempiterna justitia regnaturi, a præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore proficeamur fidem quam corde gestamus.*

III. Probatur secundo ratione S. Thomæ. Potest dari casus, quod ex omissione confessionis externæ fidei, subtrahatur cultus, & honor debitus Deo: vel utilitas proximi negligatur: vel hæretici, aut mali homines suspicentur, non esse vera, quæ Christiana professio docet; ergo aliquando tenebitur Christianus fidem, quam corda tenet, ore confiteri.

IV. Probatur tertio. Illud cadit sub præcepto, quod est necessarium ad conservandam unitatem Ecclesiæ: sed confessio exterior fidei est hoc modo necessaria; ergo &c.

Min. probatur. Si enim fides, quæ corde geritur, ad aliorum aures, & corda voce aliquando non transmitteretur; unus non posset ab alio discere, nec alius alium fidem docere; quo tota visibilis Ecclesiæ fabrica subverteretur. Ut enim ait Paulus allato loco, ver. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* ergo quandoque fides signis externis est manifestanda.

V. Quando autem obliget hujusmodi præceptum: quidam in sententia fuerunt, præceptum confessionis fidei non obligare unquam ratione sui, sed solum ratione aliarum virtutum; puta, cum ex omissione talis confessionis subtrahitur debitus cultus Deo, vel utilitas proximo impendenda. Quæ sententia videtur fuisse damnata ab Alexandro VII. *Propos.* 1. his verbis: *Homo nulla unquam vita sua tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Sententia tamen communis est, hominem ex vi præcepti divini teneri, non solum credere, sed etiam aliquando fidem exterius confiteri.

§. II.

Tempus Obligationis talis Præcepti.

VI. DIco secundo. Tunc obligat præceptum divinum de confitenda exterius fide, quando per ejus omissionem subtrahitur debitus cultus, & honor debitus Deo, & utilitas proximo impendendi. Sic D. Thom. cujus verba debent intelligi de subtractione privativa, non pure negativa, idest, quando ex omissione hujus confessionis sequeretur ignominia Deo, vel periculum divini honoris, aut proximi utilitas negligeretur: *Puta* (inquit in corp.) *si aliquis interrogatus de fide taceret: & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide.* Et ibidem *ad* 2. ait: *Quod in casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum Fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem. Sed aliis temporibus instruere homines de fide, non pertinet ad omnes Fideles.* An autem, ut quis interrogatus teneatur fidem propalare, debeat interrogari ab habente publicam auctoritatem; ita ut si a privata persona interrogetur, non teneatur, res erit inferius examinanda.

VII. Probatur autem Assertio. Tunc Fidelis tenetur confiteri exterius fidem suam, quando vocatur ut testis veritatum fidei. Tunc enim agitur causa Christi, & fidei; & si eam non confiteatur, periclitatur honor Dei, utilitas proximi, & fides ipsa: at tunc præcipue advocatur ut testis in causa fidei, quando legitime interrogatur in judicio, & a judice habente auctoritatem; ergo &c. Et hoc adeo certum est, ut oppositum damnatum fuerit ab Innoc. XI. *Propos.* 18. quæ talis erat: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Et merito. Protestatur enim Christus Matth. 10. ver. 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est.* E contra autem, Lucæ 9. ver. 26. *Qui* (inquit) *me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.*

Hinc interrogatio facta tempore persecutionis a Tyrannis, hanc obligationem regulariter inducebat: quia tunc publico certamine agebatur causa Christi; & Martyres vocabantur ut testes, & omissio Confessionis cedebat in injuriam fidei, & Dei. Culpandus propterea fuit ille, qui, referente Eusebio *lib.* 8. *Hist. cap.* 3. urgente Diocletiani persecutione, aliis in conspectu tormentorum libere confitentibus usque ad mortem fidem Christi, solus, cum neque Idolorum aram accessisset, neque profanum quidquam attigisset; nonnullis tamen ipsum sacrificasse dicentibus, calumniam silentio dissimulans aufugit: tenebatur enim, aperte negando se Idolis sacrificasse, & se Christianum confitendo, scandalum ab eorum mentibus auferre. Extra hos casus non adest obligatio fidem exterius confitendi.

VIII. Nec dicas. Præciso quocumque periculo honoris Dei, utilitatis proximi, & damni fidei, tenemur habere actum fidei interiorem pluries in vita, ut decrevit Innocent. XI. damnans hanc propositionem, nu. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Et istam, nu. 17. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.* Ergo etiam præcisa quacumque circumstantia tenebimur, aliquando fidem exterius confiteri, cum is actus suum habeat honestatem.

IX. Respondeo enim, neg. conseq. Nam credere actu interno, sicut, & sperare, ac diligere, sunt actus primarii harum virtutum habentes per se, & propter se honestatem: & sic obligamur, aliquando ipsos propter se, & eorum honestatem elicere. At confessio externa fidei; cum sit actus secundarius, non cadit sub præcepto, nisi quatenus ex ipsa sequitur utilitas ipsi fidei: quæ utilitas non urget, nisi interveniant circumstantiæ supra allatæ.

X. Cum ergo persecutor fidei exigit a Christiano fidei confessionem, tenetur eam prodere, nec silentio, aut tergiversatione satisfacit. —— Nec refert, an tyrannus, qui fidei confessionem exposcit, sit superior ejus, qui rogatur, an non. Quia ratio, cur tunc oporteat fidem confiteri, non est auctoritas rogantis in rogatum: sed tum honor, qui per tacentis erubescentiam Deo subtraheretur, tum scandalum, & damnum, quod proximo obvenire natum esset. Quam ob causam etiamsi tyrannus, vel quisquam alius non urgeat, tenetur quis interdum fidem confiteri; si ex ejus silentio honor Deo debitus, vel utilitas proximi periclitaretur. Et, ut ait Div. Thom. in cap. 10. ad Rom. Lect. 2. *Præcipue Prælati debent prædicare fidem subditis suis.*

XI. Petes. Quando auctoritas publica non publice interrogat, ut cum Judex, vel Prætor solus Fidelem de sua fide interrogat, tenetur ne eam confiteri?

XII. Respondeo affirmative. Tum quia: ita fecerunt SS. Martyres, qui fæplus a tyranno, vel Præfecto solo, non judiciaiter, sed private interrogati, fidem aperte confessi sunt. Tum quia: si Fidelis ei responderet: Quid me interrogas? Quid tua interest? Reponere posset Judex, quia sum Judex, quia sum Prætor. Tum etiam: quia si postea eum coram aliis interrogaret, & quod prius apud eum confiteri ausus non fuerat, ut tenetur, confiteretur; daret occasionem, fidem nostram insimulandi instabilitatis, & incertitudinis. Quapropter sive potestas publica publice interroget, sive private, aperte confitenda est fides Christi. Si tamen inquirens: an sit Christianus, inquirat Religionem, non Nationem, aut alios mores: quomodo Indi Occidentales cum olim odio haberent Hispanos tamquam crudeles, & Hispanos nomine Christianorum significarent: quando quempiam rogabant, esset ne Christianus, intendebant quærere, non an Christum coleret, sed an esset de numero illorum, qui ab ipsis habebantur pro crudelibus homicidis, quos Christiano nomine designare solebant. Tunc enim, ait Bannez, non solum dissimulare, sed & negare posset, se esse Christianum: quia, si non esset Hispanus juxta mentem interrogantis verum responderet.

§. III.

De Præcepto Negativo.

XIII. FIdem persecutionis tempore impune posse negari, error fuit Basilidis sæculo secundo. Quem sæculo tertio adoptarunt Helcesaitæ, quos refert Eusebius *lib.* 6. *Hist. cap.* 38. docuisse: *Indifferentem rem esse, Christum abnegare, & eum, qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia.* Hunc errorem celebrem effecerunt Priscillianistæ, qui ut suos persuaderent, ad occultandas suæ Sectæ abominationes, pro dogmate statuerunt, licitum esse etiam cum juramento mentiri. Unde certum vulgatum apud illos axioma

Jura, perjura, secretum pandere noli.

Contra hos egimus *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Qu.* 3. *de Act. human. mortalit. Dub.* 7. §. 2. quæ ibi dicta huc revocanda sunt. Tandem Gregorius David Anabaptista, sæculo 16. hanc blasphemiam evomuit: stultum esse, si quis peccatum esse arbitratur, abjurare Christum coram hominibus: atque ideo stolidos fuisse Apostolos, & Martyres, quod eam ob causam mortem subiissent. Contra hos tamen

XIV. Dico tertio. Dogma Catholicum est, dari præceptum de fide non neganda exterius, quamvis interius corde retineatur. Hoc aperte indicavit Christus, *Matth.* 10. *v.* 33. cum ait: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est.* Et Paulus, 2. *ad Timoth.* 2. *ver.* 12. dicens: *Si negaverimus, & ille negabit nos.* Pœna vero adeo gravis, qualis est negari a Christo coram Patre suo, arguit gravem culpam, & violationem gravis præcepti. Probant & hoc verba Christi, §. præcedente allata, ex *Luca* 9. *ver.* 26. Constat etiam, quia mentiri in re gravissima subtrahendo honorem debitum Deo, est præcepto gravissime prohibitum: at qui Christum, vel ejus fidem exterius negat, ea retenta in corde, mentitur in re gravissima, subtrahit honorem debitum Deo; ergo &c.

XV. Id confirmat exemplum S. Petri, & Marcellini Primi; quorum uterque exterius tantum fidem negavit, ut Patres omnes testantur, & historiæ sacræ Professores. Primus quidem verbo, Lucæ 22. *Non novi illum*: alter facto, thus enim obtulit Idolis: tamen uterque lacrimosa pœnitentia peccatum suum delevit. Petrus enim, Lucæ 22. ver. 62. *Flevit amare.*